





DISSESSATIO IN AVGURALIS JVRIDICA

DE

# INSPECTIONE OCVLARI

QVAM

IN PERANTIQA VNIVERSITATE HIERANA  
RECTORE MAGNIFICO

REVERENDISSIMO ET PER - ILLVSTRI DOMINO,

DOMINO

CHRISTOPHORO IGNATIO  
DE GVDENVS,

EPISCOPO ANEMORIENSIS,

EMINENTISS. ARCHIEPISC. ET PRINC. ELECT. MOGVNT. IN PONTIFICALIBVS  
VICARIO GENERALI, AC CONSIL. ECCLES. SIGILLIFERO, ET SVFFRAGANEBO ER-  
FORDIENSI, J. V. D. INSIGN. ECCLES. COLLEG. AD S. SEVER. CANON. CAPIT. ET  
SCHOLAST. HVJVSQUE VNIVERSIT. PRO. CANCELLARIO, ET REL.

ILLVSTRI JCTORVM ORDINE CONSENTIENTE

PRÆSIDE

DN. ERNESTO TENZELL, JCto,

EMINENT. PRINCIPIS ELECT. MOGVNT. CONSILIARIO REGIMINIS, JUDICII  
PROVINCIALIS AC FACULTATIS JVRIDICÆ ERFORDIENSIS ASSESSORE,  
AC CONSYLE IBIDEM PRIMARIO.

## PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES ET GRADVM  
DOCTORALEM RITE AC LEGITIME CAPESSENDI

HORIS LOCO QVE CONSVETIS

ERVDITORVM CENSVRÆ SISTET

HEINR. GOTTLIBIVS KŒHLER,

INSPECTOR ACCISARVM SEV TRIBUTORVM ROSVINI, NÖSSENÆ,  
SIEBENLEHN. ET VVILSDORFFII.

AD D. III. JVLII ANNO MDCC XXVI.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

REPROBATO LUDVICO V. RICARDICO

LUDVICO V. RICARDICO

REPROBATO LUDVICO V. RICARDICO

CHRISTI HOROGENTIO

CHRISTI HOROGENTIO

DA FRENESIO TERRIT. [Cto]

DA FRENESIO TERRIT. [Cto]

DA FRENESIO TERRIT. [Cto]

DA FRENESIO TERRIT. [Cto]

VIRO  
REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO  
ATQVE CELSISIMO DOMINO,

DOMINO

CHRISTOPHORO  
HENRICO  
DE WATZDORFF,  
SACRI ROMANI IMPERII  
COMITI,

DOMINO IN CROSSE, EVLWIZ, STEDEN, BVRCKEN,  
HEYDE, LICHTEWALDE, WIESE ET AVERWALDE, ORDI-  
NIS POLONICI, QVI AB AQVILA ALBA DENOMINA-  
TVR, EQVITI,

REGIÆ MAJESTATIS POLONICÆ ET ELECTORIS SA-  
XONICI CONSILIARIO INTIMO STATVS ET CABINETI,  
CONSILIARIO INTIMO, SUPREMO ACCISARVM ET TRI-  
BUTORVM GENERALI, DICTÆ REGIÆ MAJESTATIS PO-  
LONICÆ CVBICVLARIO, PRÆPOSITO BVDISENSI, CA-  
PITVLARI CAPITVLI MISNENSIS,

ET RELIQUA,

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO,

VT ET

VIRO  
EXCELLENTISSIMO, GENEROSISSIMO,  
DOMINO,  
DOMINO  
HENRICO DE BÜNAV,

DOMINO DE SEVSELITZ, RADEWITZ, LEHNIZISCH,  
GOELNITZ ET GROS-TAVSCHWITZ,

SVMMAE MEMORATÆ REGIÆ MAJESTATIS POLONICÆ  
ET ELECTORIS SAXONICI CONSILIARIO INTIMO, CAN-  
CELLARIO, SUPREMO TRIBUTORVM COLLECTORI, STA-  
TIVM PRINCIPATVS AL TENBURGENSIS DIRECTORI,  
ET GENEROSISSIMÆ FAMILIÆ DE BÜNAV

SENIORI, DOMINA VERA VLBIA DINOMINA.

REGIÆ MAJESTATIS POLONICÆ ET ELECTORIS SA-  
XONICI CONSILIARIO INTIMO STUTSAS ET CARNIFICE  
CONSILIARIO INTIMO SUPERIORUM ACCESARIA ET TRI-  
BUTORVM PRINCIPATI DICTA REGIÆ MAJESTATIS PO-  
LOGICÆ CAPITALLI MUNENSIS

DOMINO MEO PERQVAM  
GRATIOSO

REVERENDISSIME ET ILLVSTRISSIME  
**COMES DE WATZDORFF,**  
DOMINE DOMINE GRATIOSISSIME,

NEC NON  
EXCELLENTISSIME GENEROSISSIME DOMINE,  
**DOMINE DE BÜNAV,**  
DOMINE DOMINE PERQVAM  
GRATIOSE,

VESTIGIARVM MAXIMVM  
NOMINUM



Aud levi hinc inde animi distractabar dubitatione,  
num tantillas paginas VESTRIS NOMINI-  
BVS dedicare decorum permitteret. Ex una  
enim parte Dissertationis tenuitas, que Scholasti-  
cam quandam sapit industriam, Tantis vix di-  
gnam NOMINIBVS, ruborem mihi excusiebat.  
Ex altera parte devotissimum VOBIS animum  
requirebant, privata non minus, quam publica VESTRA merita, ut  
ingrati notam duceret, si qualemque occasionem negligeret, saltem  
decla-

declarandi, quanto pere VOBIS foret devictus. Quippe dum publicarum curiarum quotidie molem, pro Regie Majestatis Salute, Provinciae cummodo, & Clientum Solario in humeros VESTROS non solum suscepisti, quibus Patriam VOBIS maxime obstrictam reddidisti, simulque NOMINA VESTRA immortali glorie jam dudum dedicasti, dum etiam, quod Clientes VESTRORVM NOMINVM justitiam a VOBIS impetrantes, celerrimo auxilio ac tutela tot modis obligatos se animadvertis, ut nesciant, an spes a debito liberandi superesse possit. Et cum peculariter me quoque immergentem VESTRORVM NOMINVM clientem maxima Gratiæ VESTRAE cunularint indicia, illa me sperare jubent, quod in magnitudinem VESTRAM deliquisse non videar, si tam exiguo opusculo utar, devorissimam mentem publice VOBIS declarandi. Suscipe ergo SVMMI PATRONI GRATIOSISSIMO placidissimoque vultu tenue hoc Academicum specimen, quod in Dissertatione inaugurali consistit, & benignissime permittite, me in eorum porro numero esse, quibus permisum, tantis publicæ Salutis Curatoribus fidelissimis, indefessa servitorum oblatione se commendare, & ad urnam usque se profiteri

## VESTRORVM MAXIMORVM NOMINVM

addictissimum devotissimum Clientem  
Seruum  
HEINRICVM GOTLOBIVM KOEHLER.





DISSERTATIONIS INAVGVRALIS  
**DE INSPECTIONE OCVLARI**  
PRO O E M I V M.



Um immensus sit Jurisprudencie oceanus, & tam multi circa quamlibet ferè materiam Juris, in Theoriâ non solum sed & Praxi, occurrant dissensus, ita ut tam brevi spatio ad vivendum à Supremo Numine concessò, vix ac ne vix quidem alicui integrum sit, illum penitus exhaustire, mihi tamen in illum conjecto natare necessitatis quasi Lege injunctum sit, vestigia laudabilia more majorum premens, & specimen aliquod Academicum, quod ad Juriū supras dignitates adspirantibus incumbit,

bit, meditatus, diu multumque sollicitus fui,  
ex tam vasto diffusoque Juris campo, lectissimam  
aliquam sponsam in medium producere, & cum optio inter alias difficilis fuerit, tan-  
dem incidi in OCVLAREM INSPECTIONEM, quippe  
quæ sensus corporis non solum externos,  
sed etiam internos afficit, & delicatissimam cha-  
rissimamque, & non immerito artificiosissimam  
corporis nostri parte perficitur. Utilitate non  
minus, quam Jucunditate præsens thema pol-  
lere arbitror, imprimis cum Judex quandoque  
sine illa tuto in causa procedere non possit, &  
per eam multi inanes processus & ambages vi-  
tentur. Liceret itaque quandoque necessitas  
suaserit, quædam intermiscere, quæ circa tra-  
ctandam hanc materiam ex Jure Romano hau-  
riuntur, & quæ castis auribus videntur indigna,  
tamen me debitæ illis in rebus modestiæ fore  
studiosum policeor; Cum autem non semper  
ad gustum cuiusvis eadem castitas sit applican-  
da, & quædam alicui videantur minus casta, quæ  
tamen scire revera non contra bonos mores  
neque castitatem sunt, Jurium autem cultoris  
officium in eo constitutum sit, ut Jura pervolvat,

( 5 )

vat, omniumque Legum constitutarum sibi  
acquirat notitiam, neminem facile judicaturum,  
me inculta facere puto, proponendo Leges,  
rationesque harum constitutionum, nisi illum,  
qui impudicas aures mentemque hisce rebus  
applicat, interim L. B. rogo, ut faveat conatu,  
meque de meliori habeat commendatum.

### CAPVT PRÆLIMINARE.

#### §. I.

**N**on solum JCtis & Medicis, sed & Philosophis, Ocularis Inspectio est communis, illisque egreditur ex-  
specie ex-  
tendit se ad  
omnes disciplinas,  
ocularis Inspectio est communis, illisque egreditur ex-  
gutum præbet usum, visque ipsius in tantum se exserit, ut nulla serè disciplina sit, quæ extra illam ge-  
nuina possit sovère principia, nisi Scepticos, qui omnem circa imaginationem affectum residere sibi persuasi, velis esse exēmto; Nostrum non erit, singulas pervo-  
lare doctrinas, sufficiet, si amœnitates Juris percurra-  
mus, usumque circa illas ostendamus, nam abundat Jurisprudentia undique in hâc materiâ, ut non opus sit, admicula aliundè quærere; Neque tamen integrum nobis erit, ea negligere, quæ JCtus è re Medicâ subficia quærere debet; hæc enim in accuratâ Juris notitiâ exinde repetenda, ita ut vix in quibusdam re-  
bus limatum posse decisum ferri, afferere possis, nisi Medicorum saniorum Judicium jungas iis, circa quæ determinanda Jurisprudentia nostra versatur; adeò, ut JCti quoque nostri moti fuerint ab Imperatoris Sa-

A 3

cra-

cratissimi recedere Judicio, si ex sententiâ Medicorum quædam Corpori Juris inseruit, haecque postea novitibus non inveniantur probata, & accuratori Judicii lance pensitata, demonstratione & observatione nova reperiantur emendata. Citra ambages tamen erimus studiosi illarum rerum, quæ forum nostrum saltem per accidens tangunt.

## §. II.

**Non opus est,**  
terminos in-  
specionis o-  
cularis expli-  
care.

Cum terminos & significatum inspectionis ocularis, quilibet qui modo notitiam linguae latinæ aliquam habet, facillime intelligat, rem supervacaneam esse existimavi, in iis explicandis immorari, imprimis cum utiliora me facturum credam, quando circa res inspectionem ocularem admittentes, paulo penitiores faciam digressiones. Vetus Germanorum proverbium: *Was die Augen sehen, glaubt das Herz*, totam remin folle exhibit.

## §. III.

**Descriptio o-**  
**cularis Inspec-**  
**tionis.**

Utilissima imo necessaria est ocularis Inspectio, ad lites sopiendas, & per eam Judici de re aliqua, alias dubia fit fides, ut eo facilius & tutius in causa procedere possit. Per hanc descriptionem facile quis sentiet, quid per ocularem velim inspectionem, ad Instantiam autem partium semper permittenda, quoniam per hanc nemini aliquod infertur præjudicium, & instituitur sumtibus petentis, quandoque vero à Judice ex officio decernenda sumtibus utriusque partis vid. BRVNNEMANN. Proc. Civ. c. 22. n. 5.

## §. IV.

**Ocularis In-**

Deprædicant Ddres inspectionem ocularem utilissi-

lissimam in Praxi, dicuntque, quod non immerito pri-  
specchio opū-  
mum inter modos probandi obtineat locum, sitque  
omnium optima, nec inveniatur ulla major, vel melior  
vel validior, nec certior aliqua sit probatio, quam quæ  
demonstrata sit per evidentiam facti, vincatque omnem  
probationem & fortissima sit, quos collegit BERLICH.

ma est proba-  
tio, sed non  
talis, qualis à  
Ddribus ren-  
didatur.

*Part. i. Conclus. 46.* sed cum Inspectioni oculari virtu-  
tem effectumque insignem denegare, animus mihi qui-  
dem non sit, tamen Ddres me vix ad credendum in-  
ducent, tantas vires esse ocularis Inspectionis, quan-  
tas tribuere solent, cum certum sit, sententiam ex ea la-  
tam nunquam transire in rem Judicatam, modo res  
adhuc sit integra, vid. c. 6. X. de frigid. & malef. c. 14. X.  
*de probat.* Dn. MENCKE in Theor. & Prax. ff. Lib. 42. Tit.  
I. §. 23. MARTINI in Commentar. forens. ad ordinat. Proc. in  
tit. 24. n. 306. si itaque hæc probatio certissima in mun-  
do esset, nullaque felicior aut melior, sane tantis diffi-  
cultatibus non esset obnoxia, ut quovis tempore post  
sententiam possit retractari, re adhuc integra.

### S. V.

Sic ex Judicio quoque Medicorum sententia lata, si ex Medicis  
non transibit in rem Judicatam, quoniā semper pe-  
ritiores in arte consuli possunt, hincque horum spectan-  
dum Judicium, qui priorum errorem debent probare,  
vid. STRYCK. de Jure Sensuum Dissert. I. c. 3. n. 15. qui ta-  
men ultra duas vices non solere permitti, ibid. n. 18. priorum er-  
statuit, pluribus autem Medicis convocatis, & dissen-  
tentibus, majoris partis Judicio standum esse existimat,  
vid. n. 19. quod mihi videtur suspectum, cum in ma-  
joris partis judicio non virtus & veritas rei consistat,

sed

sed in sanioris, cum autem saniorum Judicium hic nemo determinare possit, tutius faciet Judex, si in casu tam dubio, qui scilicet in utramque partem disputatur, mitius Judicantium eligit sententiam, imprimis, quando res de causa sangvinis vertitur, quam hic STRYCK, *in loco allegat.* recentet, de lethalitate nempe vulneris.

## §. VI.

In omnibus causis inspe-  
ctionem ad-  
mittentibus illa est con-  
cedenda.

In omnibus ferè causis civilibus & criminalibus, inspectio ocularis concedenda, imo quandoque decer-  
nenda, quæ videlicet inspectionem admittunt, etiam rebus incorporalibus, v.g. servitutibus, ut in servitute stillicidii recipiendi, Tigni immittendi &c. nec Judici quandoque integrum est, ab eâ abstinere, nisi omnia nullitatis vitio affecta esse ex post facto videre velit. Conferatur BERLICH. P. 1. conclus. 46. n. 4. qui non in omnibus causis inspectionem ocularem admittendam esse vult, sed in illis saltem ubi magis Judicium, quam Testimonium requiratur. Sed non video, cur ullo modo parti petenti sit deneganda, Judex enim post conclusionem in causa judicabit, an, & quantum inspectio ad probationem contulerit.

## §. VII.

Certus inspe-  
ctionis dies est  
præfigendus,  
ad illumque  
partes citandi.

Si auctoritate judiciali inspectio ocularis institui-  
tur, debet utraque pars citari ad certum dicim, sc. ad illum, in quo inspectio est peragenda, vid. BRUNNEMANN, Proc. Civ. c. 22. n. 6. ita, ut præsentiam partis utriusque in tantum necessariam deprædident Ddres, quod actus sit nullus, si non utraque pars ad Inspectionem sit cita- ta, vid. MEV. Part. 4. Dec. 139. nota 5. ratio est in prom- tu, quia est actus alteri parti præjudicium aliquod in- ferens,

ferens, hinc necessario adesse & Judici fundamenta sua quoque allegare debet, quo simul videat & audiat an rationes utriusque partis ita sint comparatae, ut adaequatum ex iis Judicium ferri possit. Non autem eo inspectionis momento necessarium est, rationes suas allegare, sed etiam potest fieri, quando à Judice communicatio rotuli inspectionis fit, rationem in eo collocant, quoniam inspectio ocularis sit loco attestatorum, cum itaque ex meritis attestatis, non statim liceat ad sententiam procedere, sed partibus integrum sit, causam adhuc deducere, ita etiam post ocularem Inspectionem. vid. MEV. P. 3. Dec. 225. not. 5.

## §. VIII.

Singulare adhuc est in inspectione oculari, quod <sup>Inspecatio oculi-</sup> quounque possit peti tempore, etiam post publicatas <sup>laris omni-</sup> attestations, post conclusionem in causa, post rem ju- <sup>tempore po-</sup>  
<sup>test peri, &</sup> dicatam, etiam in ipso executiouis actu. vid. plura apud obtineri,  
BERLICH. P. 1. conclus. 47. n. 27. sqq. conferatur RVLAND,  
de Commissariis & Commissionibus P. 2. lib. 3. qui plura de  
oculari collegit inspectione, quæ hic repetenda non  
sunt, ad quem Ben. Leet. relego. Sed cum in Ordinat.  
Proc. Electoral. Mogunt. Erfordiensi Tit. XXI. §. 1. in spe-  
cie prohibitum sit, quod post conclusionem in causa ni-  
hil novi debeat actis inseri, sed à Judice ex officio re-  
moveri, quæstio emerget, an rotulus ocularis in-  
spectionis, sive relatio Commissariorum ex oculari in-  
spectione, post conclusionem in causa possit ad Acta  
venire, quod negandum videretur, quoniam hac spe-  
ciali sanctione esset prohibitum. Sed cum neque Jure  
communi Actis aliquid novi, postquam conclusum in  
causa,

B

causa, possit inseri, nisi Judex interlocutorie debeat pronuntiare, daß nemlich diese nova, so ad Acta gebracht, erstlich dem Gegentheil zu communiciren, & tamen post conclusionem in causa adhuc admittatur ocularis Inspectio, non putarem, licet hoc generaliter Eminensissimus Legislator prohibuerit, ad hunc casum specialem ocularis Inspectionis esse extendendum, conseratur BERLICH, P. 1. Concl. 47. n. 28. qui Facultatem Jurid. Lipsiensem ita quoque pronuntiasse refert, verb. Ob wohl in der Sachen allbereit zum Urtheil beschlossen, und ihr euch ferneres Einbringens billig enthalten sollet, dennoch aber und dieweil ihr es dafür haltet, daß der Zeugen Aussage ohne einen Abriß, dem Augenschein gemäß nicht wohl einzunehmen oder zu verstehen seyn möchte, und denn dergleichen Sachen in Rechten sehr befreyet, so wird euch, einen Abriß in Ge- genwart eures Gegentheils gebührlich zu ververtigen und ad Acta zu bringen, villich verstatte.

## §. IX.

Oculari inspectio renuntiari, non sine ratione disceptatur, quoniam quandoque sine potest, sed illa res commode dirimi non potest, hincque adeo necessaria, ut vix possit abesse, & consideratur tanquam communis probatio, cui ab una parte in praedictum alterius non potest renuntiari. Sed contrarium ex Regula generali, verius esse affirmat RVLAND. de Commiss. Part. II. Lib. 3. cap. 9. quoniam quilibet favori pro se introducto possit renuntiare, & quia testibus possit renuntiari, cur non etiam oculari inspectioni, sed in tantum lubentissime concedo, quatenus non sit in praedictum

dicum Judicis, vel etiam adversæ partis, si enim hi præjudicium aliquod vel interesse docere possint, re-nuntiatio nullo modo erit valitura, quoniam hæc in præjudicium tertii nunquam fieri potest.

## §. X.

Singulare est in Saxoniâ Electorali, quod, si à par-tibus petatur inspectio ocularis, debeat cum articulis probatorialibus vel reprobatorialibus intra 14. dies pe-ti, à tempore publicatarum attestationum, & sumtibus petentis suscipi, adversarioque, qui semper ad eam ci-tandus est, arbitrium relinqui, num pariter suo sumtu velit adesse. Si vero non petita, Judici, urgente ne-cessitate, ex officio liceat, aut una cum examine testium oculari inspectione uti, aut antequam definitiva vires rei Judicatae nanciscatur, inspectionem hanc per inter-loctorianam demandare, cujusque expensis facienda sit, determinare vid. Ord. Proc. Sax. Elec. Noviss. Tit. 28. §. 1. p. 160. quæ dispositio Juris statutarii, de oculari inspe-ctione controversias, quibus alias in Jure communi vexamur, decidit, planeque excludit alia, & ita quæcum-que tempora petendæ ocularis inspectionis.

## §. XI.

Mihi autem materiam hanc excutienti, animus non est, per singula causarum & rerum genera hoc deducere, quippe ad quod integrum volumen vix suffi-ceret, & labor specimini Academico, quod tantum volumen non requirit, haud esset accommodatus, sed saltem mihi proposui, notabilia quædam, quæ in Jure Civili, Recessibus Imperii, & Constitutionibus Crimi-nalibus Car. V. de Inspectione oculari commendantur,

B 2

*Singulare in  
Saxonia Elec.  
de oculari in-  
spectione sta-  
tutum.*

*Non singula;  
ubi inspecio  
obtinet, pro-  
ponam, sed  
solum quæ-  
dam notab-  
lia.*

&amp;c

& ad probationem desiderantur, dissertationi publicae inscribere, & eruditorum censuræ subjicere, quod separatis capitibus facere constitui, ubi in uno CIVILES Inspectiones, in altero autem CRIMINALES exhibeo.

## CAP. I.

DE INSPECTIONE OCVLARI, IN CAV-  
SIS CIVILIBVS.

## §. I.

**P**ubertas apud veteres ex Inspectione di-  
judicata,

Certum imo certissimum est, pubertatem apud veteres Inspectione oculari fuisse dijudicatam, ut patet non solum ex Fragmentis VLFIANI Tit. XI. §. ult. qui tres JCtorum de aestimatione pubertatis refert sententias, verb. *Puberem autem Cassiani quidem eum esse dicunt, qui habitu corporis pubes appetet; id est, quigenitare potest, Proculeii autem eum qui XIV. annos explevit. Verum Priscus eum puberem esse, in quem utrumque concurrit & habitus corporis & numerus annorum.* Sed & ex ipso Jure Justinianeo, ubi JVSTINIANVS in modis, quibus tutela finitur, cum pubertatis mentionem facit, dicit, quod veteres non solum ex annis, sed quoque ex habitu corporis in maribus aestimaverint pubertatem, quod tamen tanquam contra castitatem rejicit. vid. princ. *Instit. quib. mod. tut. fin. jund. L.3. Cod. quand. tut. vel curat. esse desin.*

## §. II.

Mirum cur Justinianus Inspectionem ad modos finendi tutelam retulit, Maximopere autem hic mirandum, Imperatorem JVSTINIANVM inspectionem pubertatis ejusque prohibitionem retulisse ad illos titulos, in quibus de finienda agitur tutela, cum tamen hic plane neque apud veteres

rés ullam præstiterit utilitatem, neque hic ratio probationis Physicæ ulla, cum ne crediderim in condenis Testamentis, reliquisque ubi præstare se virum non oportet, talem inquisitionem pubertatis fuisse institutam, vid. L. 4. C. de Testam. sic in nuptias solas redundasse utilitatem, facile quis poterit dijudicare, cum ibidem hæc quæstio præjudicialis, de pubertate Physica solum volvatur, quod ex PLATONE Lib. XI. de LL. qui Leges Romanis congruentissimas habuit, quoque colligere licet, verb. *Nuptiarum temporis convenientiam & disconvenientiam* Jūdex per inspectionem determinet, mares quidem, femellas ad umbilicum usque spēctans nudos, & sana ratio dicitat gravissimorum hominum Judicium nullo risui expōnere. Hinc HVBERVS in Digress. lib. 3. c. 14. neque ordinarium inspectionem modum probandæ pubertatis fuisse, sed extraordinarium putat, quod latissime per totum quoque caput deducit. Et nec inspectione sola contentos fuisse veteres, tradunt, sed quoque ea peragere voluisse, ex quibus de arguento viri constaret, uti CORN. VAN BYNCKERSHOECK in obseru. Jur. Rom. Lib. III. c. 24. p. m. 323. ex verbis Ulpiani elicere voluit.

## §. III.

Excusationis hâc in parte causam aliquam supponebat JVSTINIANO, vir alias celeberrimus Dn. JO. PET. à LVDEWIG, in Tractatu, quem inscripsit, *Differentia Jurium VVIG*, sed Romani, Græci, Germanici &c. in aerae puberum & majorum cap. I. §. 14. 15. 16. ubi hic ducibus se relictum alienis, fraxisse iter jaçat, mobile & incertum tempus, finiendæ tutelæ ante JVSTINIANI tempora afferens, uti enim quidam pubertatem ex anno XIV. aliij XV. non-

cum tamen  
ibi nullum  
præbeat  
ūsum,

B 3

nulli

nulli XVII. aut etiam XVIII. æstimatorint, ita ex sententia PRISCI JCti, habitus corporis & numerus annorum fuerit conjunctus, ut deinde certo annorum numero non inclusa pubertas, sed naturam accedere Legibus necessum fuerit, quod Justinianus tanquam in honestum & inverecundum, non in nuptiis solum, sed etiam in tutelâ finienda voluerit tollere, quam ob rem Sententias CASSIANI PROCVLI & PRISCI, non in tit. de Nuptiis, sed in princ. Instit. quib. mod. fin. tut. recitat. Sed hoc est, in quo hæremus, quod in tit. de finienda tutelâ recitat, cum enim quando ad Institutiones hic vir Celeberr. commentatur, absurdissimam Juris Romani dicit esse doctrinam, finiri tutelam pubertate, cum à seminis humani maturitate, ad maturitatem Judicij nullum planè procedat argumentum, & quod Jure Germanico ab his principiis abhorreamus, constantissimè afferit, cum hoc Jure non à pilis aut pube, sed à Judicij maturitate æstimemus pubertatem, non video, cur hac in parte non ad stipulemur HYBERO in Digress. lib. 3. c. 14. p. m. 362. qui hoc inter errata TRIBONIANI refert, quod justo ordine non quodlibet collocaverit, & ad titulum suum redegerit: In appellatione enim pueri atque adolescentis, restitutione propter lubricum ætatis, præstatione dolii atque culpæ, Testamenti factio, in substitutione pupillari, pubertas solita fuerit ex solis annis æstimari, neque hic ulla nudidatis indagatio usitata fuerit, authoritate veterum JCtorum, ex L. 2. ff. de Substit. & L. 5. ff. qui Testam. fac. possunt, junct. L. 4. C. eod. afferit. Licit hic maximè bilem moveat viro Celeberrimo antea nominato, Responderet enim in cap. I. §. 23.

§. 23. citati Tr. ad hoc, Meo Judicio probatur hæc doctrina neutiquam, cum salvum velim esse Imperatorem ex omni parte, cum tamen hæc non recte perpenderit, Imperatorem ubique posse esse salvum, licet per medii profundi viator TRIBONIANVS periclitetur, nullo enim in loco neque veteres JCTi neque JUSTINIANVS de insciendis masculis, quando de tutelâ vel simili casu quæstio volvebatur, verba fecere, sed solum de pubertate in genere, TRIBONIANVS autem ex inconvenienti applicatione, locum hunc ordini incongruo inferuit, dictum quoque supra rationem indagationis Physicæ hic planè cessare, quoniam in appellatorum casuum existentia, nihil proficit scire, an quis virginis possit opponere ea, quæ natura dedit oblectamento, sed solum an vis Judicij fœsi exerat, quæ ex determinatione ejusmodi annorum fuit præsumpta. Subscribit nostræ quoque Sententiæ CORNEL. VAN BYNCKERSHOECK in obseruat. Jur. Rom. lib. 3. cap. 24.

## §. IV.

Sed hæc quidem vestigia in Jure Romano de inspectis masculis occurruunt, an autem foeminarum pubertatem etiam per inspectionem fuerit determinata nihil extat, Dn. à LVDEWIG in cit. Tr. de ætate puberum & majorum §. 24. putat, nullum JCTum desiderasse inspectionem, sed ex solo anno XII. siuisse aestimatam pubertatem, quoniam virum pati, solum fuerit terti opus, non animi aut integræ mentis, & quod hinc puella non fuerit prudens, quia viri potens, sed hæc ratione iterum incidit in præjudicium §phi antecedentis, quod scil. in pluribus causis, quam ubi quis virtutem se præbere

De Foeminis  
nihil in Jure  
Romano oc-  
currit, qua-  
d fuerint in-  
spectæ.

re debuerit, ocularis inspectio fuerit admissa, & Romani quoque Judicij firmitatem ex hac inspectione aestimaverint, potior nobis videtur ea quam van BYNCKERSHOECK affert ratio in *Lib. III. observat. cap. 24.* Quod foeminarum cognoscatur pubertas ex purgatione menstrua, hinc nullâ fuerit inspectione opus, & licet quidem verecundiæ contrarium non fuerit, mulieres inspicere, modò ab obstetricibus hoc fiat, tamen plane per hanc inspectionem nihil probari possit, nisi adhibeantur ea, quae virginitatem perderent.

## §. V.

Ventratis In-  
spectio quan-  
do instituta.

Pubertatis inspectionem excipit inspectio ventris, quam JVSTINIANVS in *lib. XXV. Tit. IV. ff. de Ventre Inspectando* proposituit, ubi de Inspectione ventris tota historia, & quemadmodum fuerit peracta, ibidem poterit videri, & cum venter hic denotet uxorem prægnantem, triplici modo ocularis inspectio cum uxore prægnante fuit instituta, primus modus fuit, cum post divorzium uxor marito denuntiasset, se ex eo esse prægnantem, *L. I. §. 12. ff. de Agnoſc. vel Alend. Lib.* ubi inspectionis remedium fuit adhibitum, ad fallacias mulierum coercendas, & ne invito antehac marito in ultionem quasi divorzii onus alimentandi obtrudant, secundus locum habebat, si foemina dissimulabat prægnantiam suam post divorzium, & hinc plane eam negabat *L. I. ff. de ventre Inspic.* marito hic intererat, se habere haeredem & successorem in bonis, mulier hoc animadvertis, marito cogitabat officere, & negabat se ex eo esse prægnantem. Hi duo ventrem inspectandi modi apud nostrates in desuetudinem abierunt, cum enim

enim divorcium non decernatur, si præsumtio solum  
quædam in mulerem, quod sit prægnans, cadere pos-  
sit, facile liquet, neque denunciatione neque dislimu-  
latione graviditatis opus esse conf. SCHILTER *Exerc. ad*  
*ff. 36. §. 125.* ita apud nos partus post divorcium edi-  
tus simpliciter habebitur pro spurio, rationem quis fa-  
cile poterit colligere, causæ enim ob quas apud Pro-  
testantes divorcium fieri solet, eliduntur per subsecu-  
tum concubitum & videtur quis tacitè uxori condo-  
nasse, cum quā post delictum commissum literum con-  
cubit, longè diversa apud Romanos divorciorum ra-  
tio, ibi enim, qui volebat uxorem dimittere, id pote-  
rat pro lubitu, modò ei literas daret dimissorias, vulgo  
einen Scheide-Brief, uti undique ex Sacris appareat li-  
teris, conferatur Dn. de COCCEJVS in *Jure Cont. Civ. P.*  
*II. p. 159. qu. V.* sic facillimè poterat accidere, ut quis  
unā nocte concumberet, alterā dimitteret uxorem, &  
eo tempore, ubi de graviditate nondum constare po-  
terat. Tertius modus obtinebat, in casu, si uxor mor-  
tuο marito affirmabat, se esse prægnantem, *L. 1. §. 10.*  
*de agnosc. vel alend.* *Lib. L. 1. §. 4. de Inspic. vent.* & qui-  
dem ob metum partus supposititii, ne in præjudicium  
agnatorum, vel reliquorum hæredum ab intestato,  
fraus ab uxore committatur, ut bona à marito profe-  
cta possit retinere, & favorem in Jure pro partu intro-  
ductum, nequitia sua in propriam detorquere utilita-  
tem, constat enim, quod mulier, si ex affirmatione  
obstetricum gravida reperta fuerit, quod tunc in pos-  
sessionem ventris nomine sit missa, *L. 1. §. 10. ff. de ven-*  
*tre Inspic. jung. tot. tit. ff. de ventre in possess. mitt.* De  
in-

C

De  
in-

inspectione hâc, an adhuc hodiè obtineat, non sine ratione dubitant SHILTER *Exerc.* 36. §. 125. SAM. STRYK. V. M. ff. ad tit. de *Inspic.* Vent. §. 1. & meram denuntiationem sufficere putant, graviditatis videlicet, quoniam ex eventu temporisque tractu facillime deinde certiorari possunt, an graviditas vera an vero commentatio fuit, intra quod tempus vero post mortem parentis partus debeat & poslit edi & quæ difficultates ibi emergant, de iis potest videri CARANZA, qui integrum de *Partu* edidit tractatum & ZACHIAS in quest. *Medico legal.* An autem tunc, quando paritura est uxor imprimis Nobilis, & ubi de successione in feudis, Principatus Imperii, regnis &c. quæstio sive controversia emerget, inspectio instituenda? merito affirmatur, facillime enim alias partus suppositius, ejusmodi successionis particeps fieri poslit, imprimis quando verus partus editur debilis, vel mortuus, vel plane uxore prægnantem mentita sit, & sicut quasi esset paritura faciat, nihil tamen certi ac determinati hac de re in genere dicere licet, imprimis cum mores cuiusque regionis varient, & secundum illas inspectionem ventris instituendam ipse VLPIANVS putet, in L. 1. §. fin. ff. de ventre *Inspic.* Exemplum Illustr. de HENRICI VI. uxore, quæ suspicione omni se voluerit liberare, hincque tabernaculum in medio Ecclesiæ Panormitanæ, jussérit tendi, palamque populo spectante Fridericum II. enixa sit, refert ex GOTHOFREDO SAM. STRYCK. V. M. ff. ad tit. de *Inspic.* Vent. §. 3.

## §. VI.

Rara, admodum imo chara Virginitas nunc, ast calamo

Virginitas ex  
inspectione

Iamo delibanda, & videndum, an ea ex inspectione occupari possit dijudicari. Medici ex quonam dignoscatur virginitas, admodum inter se discrepant, Hymen qui-  
dam pro signo vendidare conati sunt, hujusque absen-  
tiam, signum amissæ virginitatis esse crediderunt; qui-  
dam hoc pro fictione reputavere, aliamque subministra-  
runt rationem, cur prima nocte sanguinolenta appa-  
reret sponsa, conferatur KORNMANN. de Virg. stat. ac Ju-  
re qu. 30. Alii alia virginis signa in medium producere  
conati sunt, nec defuire, qui ex urinâ dijudicare volue-  
runt, aliique per medicamenta & herbas. Nobis con-  
gruum circa hanc rem suppositum facere, cum minima  
circumstantia variet rem, integrum non erit, impri-  
mis cum nec peritis in arte, circa virginitatem certi  
aliquid afferentibus, tuto fidendum sit, & illi multo-  
ties fateantur, observationes etiam in virginibus illibata-  
tis posse accidere, quæ in aliis, quæ tales non sunt, ap-  
parent. Hinc absurdam puto de restitutione virginini-  
tatis doctrinam, quam JCTi movere solent, & tam an-  
xie circa hanc rem haerent, ut cum omnia Deum posse  
facere putent, nec virginitatem suscitare posse afferant,  
vid. KORNMANN. loc. cit. c. 29. cum in quo proprio con-  
sistat virginitas, nunquam probatum dabunt, & sola  
imaginatio rem dirimat, omnia enim, quæ in virgine  
illibata possunt accidentia esse, arte comparari posse,  
seculi malitia docuit, conferatur STRYCK. de Jure Sen-  
suum Dissert. I. c. 2. 38. qui remedia commendat ad his  
fraudibus occurrendum, sed admodum fallacia ac fra-  
gia, cum evictum sit, naturam in diversis objectis di-  
versa etiam operari, mentem itaque animumque hac

non potest dicitur  
judicari nisi  
in puella non-  
dum matura  
five adulta;

in re castum plus valere puto, quam centum Hymena  
ficta, præputiaque Philistæorum. Ad Rhombum au-  
tem inspectionis ut redeam, optarem scire, quo spiritu  
quidam JCti agitati, ut in virginitate inspectionem ad-  
mitterent, eamque ex inspectione obstetricum posse  
probari docerent, vid. STRYCK. loc. cit. n. 35. proposuit  
illam quæstionem late KORNMANN. de virg. stat. c. 8. nec  
videtur ipse approbare, sed dicit, se in dijudicanda vir-  
ginitate sequi opinionem BARTOLI. Cum enim res sit  
admodum periculosa certum aliquod Physicum con-  
stituere, circa quod versetur virginitas, multo pericu-  
losior erit inspectio, & illi cui <sup>to quovis</sup> illud deesset,  
denegare virginitatem, imprimis cum JCti velint,  
quod simplici assertioni obstetricum ne quidem sit cre-  
dendum, sed rationem assertionis suæ addere debeant.  
Puto itaque probationem Virginitatis, inter res deper-  
ditas referri, & accenseri rebus ex Germania profligatis,  
vel in terris incognitis residentibus, & nec res esset  
consilii, talem infallibilem probationem invenire, plu-  
rimarum enim exinde periclitaretur pudicitia, quibus  
sic tegmina fecit ignorantia, & tanta infensio potus ama-  
ri, in veteri Testam. recepti, sexus esset sequioris, ut  
inter se convenienter, ne aliqua duceret virum, cui sic  
dubia ipsius visa pudicitia, & qui non ejusmodi proba-  
tioni velit exceptionibus omnibus resécatis, renuntia-  
re. Miraculum per quod virginitas fuerit explorata  
refert BESOLD. in Thesaur. Præf. sub voce Peinliche Frage,  
de statua veneris in urbe Constantinopolitana a tem-  
poribus Constantini Magni usque ad Justinum minor-  
rem extante, ad quam virgines vitii suspectæ cum ac-  
cede-

cederent, siquidem illibatae essent, secure discedebant, at corruptarum vestis statim reducebatur patefactis pudendis. Sed cum nec certi virginitatis possint constitui limites, tamen occurunt casus, in quibus certus quis esse potest, quod quædam nunquam admiserit virum, & ita vera sit virgo, e. g. quando Medicus & obstetrices Inspectionem instituunt puellæ, quæ pubertatis terminos nondum attigit, nec apparent signa aliqua, læsionis ejus partis, ubi sexum ostendit, ibi certissime Medicus potest afferere, ejusmodi puellam adhuc esse virginem, quoniam impossibile sit eam cognitam à Viro; quod tamen in adultioribus cessat, in iis enim quandoque supplet natura, quod in ejusmodi tenera ætate per læsionem efficitur. Exemplum occurret infra de Rustico, qui cum teneræ ætatis puella stupri accusatus, ubi Medicus & obstetrices postquam inspexissent, unanimiter asserebant, coitum cum hac puella fuisse impossibilem, & illa adhuc tam incorrupta virgo sit, sicut ex utero materno processisset.

## §. VII.

Hermaphroditum sexui prævalenti annumerari, Hermaphro-  
patet ex L. 10. ff. de statu hom. l. 15. ff. de Testib. L. 6. 7. §. di, an matri-  
fin. de lib. Et posib. si in utroque sexu reperiatur potens, monium inire  
tunc habere electionem statuunt, cui sexui se velit di- possint.

care, vid. CARANZA de Partu c. 17. n. 68. ZACHIAS hb. 3.  
qu. Medico Legal. qu. 9. tit. 1. n. 2. Quod alii iterum

in dubium vocant, & impossibile esse utrumque sexum posse in uno subjecto virtutem suam exercere, arbitrantur. Hæc quæstio hic loci non erit expendenda, licet nos non sine ratione priori sententiæ subscribamus.

C 3

Sexum

Sexum autem, cui annumerari debeat Hermaphroditus ex inspectione oculari dijudicandum volunt, vid.  
 DAVTH. *de ultimis volunt. tit. de Instit. n. 212.* qui non solum in matrimonio hoc procedere probat, sed etiam, quando Hermaphroditus officio Commissarii vel testis fungi debeat, quod & probat RVLAND. *de Commissar.*  
*Part. I. Lib. I. c. 29. n. 5. a.* ex ea ratione, quoniam fere indecorum sit, mulieres ad ea officiorum adhibere genera, quæ plerumque solent esse loquaces & secretare-velare, excipit tamen mulieres Jurisdictionem & Regalia habentes. Si inspectio in hermaphrodito insti-  
 tuenda, volunt Ddres, quod hæc debeat fieri ante ma-  
 trimonium, ita ut etiam renuens inspectionem, plane non sit admittendus ad matrimonium, ut ita pronun-  
 tiatum a Consistorio Misénensi refert DEDEKENNVS Con-  
 fil. Theol. lib. 2. Sect. 1. n. 7. p. m. 75. verb. Unser Gruß  
 zuworn, würdiger guter Freund, Nachdem ihr in Sa-  
 chen des Hermaphroditen N. so viel befunden, daß er  
 ohne vorhergehende Inspection und Erfundigung, wie  
 es seines Leibes halber beschaffen, zum Ehestande nicht  
 kan zugelassen werden, welches wir ihm auch vermel-  
 det; er aber darein sich zu begeben Bedenken gehabt,  
 und von seinem Vorhaben abzustehen, sich erflahret,  
 desgleichen auch Anna N. von ihrer Eheflag auf unse-  
 re Ermahnung abgestanden, als ist an euch Unser Be-  
 gehren, ihr wollet gute Achtung auf beyderseits haben,  
 daß sie sich ferner nicht zusammen halten: Herma-  
 phroditus auch anderer Weibs Personen müßig gehe,  
 damit ferner Aergerniß abgeschaffet und verhütet wer-  
 de. Do er aber nochmals zu der Inspection auf sein  
 Un-

Unkosten sich erbiethen würde, so wollet uns folches an-  
hero wiederum berichten, die wir euch zu dienen geneigt.  
Quod & approbat CARPOV. in *Jurisprud. Confistor. lib. II.*  
*Tit. I. definit. 16. n. 12. sqq.* idque per præjudicia aliqua  
Consistoriorum deducit. Sed cum plurimi casus mori-  
bus possint accidere, ubi quis ignorans etiusmodi her-  
maphroditum matrimonio sibi jungit, si pars læsa nolit  
esse contenta, non video, cur ocularis inspectio etiam  
post contractum matrimonium non possit institui, in-  
primis cum impotentia quædam illius sexus, pro quo  
se gesstis Androgynus, emergat.

## §. VIII.

Cum finis matrimonii primarius in procreatione  
sobolis consistat, res dubio omni est exempta, impo-  
tentes à matrimonii esse repellendos, hoc autem vix  
ante matrimonium contractum fieri posse patet, quo-  
niam se defectus tunc demum, quando viri præstatio-  
ne est opus, exerit, utroque autem sexu & multis mo-  
dis reperiri impotentes, latius deduxit SIMON. in *Differ-  
tat. de Impotentia Conjugal.* Sed an eo modo, quando  
Conjux conjugem impotentiae accusat, provocari po-  
terit ad divortium, vel etiam, ut quidam putant, ma-  
trimonium ipso Jure nullum declarari? Affirmamus,  
modo ab illis fiat conjugibus, quorum finis fuit pro-  
creatio sobolis, absurdissimum enim foret, quando Ju-  
venis vetulam aut Senex Juvencam ducerent, postea-  
que ob impotentiam, vel quod cohabitare non pos-  
sent, separationem peterent, hæc enim plane non per-  
mitteretur, nec esset permittenda, quoniam Juvenis vel  
Juvenca, de tali casu facillimè cogitare potuissent, &

sic

Ob Impoten-  
tiam Inspe-  
ctio ocularis  
à Confistorio  
mandatur,

sic solatium Scripturæ Sacræ, ducat ut Sororem, si non ducere poterit ut uxorem, ipsis erit applicandum. Hinc nulla Jura prohibent illum illamve ab uxore aut marito divertere, qui quæve mater volet esse libero-  
 rum, quod & approbat PONTIFEX Can. 2. caus. 33. qu. 1.  
 verb. quod si mulier causatur, Et dicit volo esse mater Et filios procreare, Et uterque eorum septima manu propinquorum, tactis Sacrosanctis reliquiis Jurejurando dicat, ut nunquam per commissiōnem carnis conjuncti unacaro effici fuiſſent, tunc videtur, mulierem secundas nuptias contrahere posse, & VPLANVS in L. 14. §. 7. ff. de ædilit. edic. mulierem ita ductam, ut mulier fieri non possit, nec sanam prouniavit, hinc & hanc repudiari posse, asserit STRYK. de Jure Senf. Dissertat. I. c. 1. n. 54. licet quidam eam incisionem pati sine ullo judicio somniaverint. Sed modum Consistoria nostra solent præscribere, hinc nudæ assertioni Conjugum non creditur, licet eam juramento velint corroborare, sed prius inspectio ocularis præcedat, necesse est, illius partis, qui impotentiae accusatur, & quidem à prudente Medico & Chirurgo, & ita Consistorium Wittebergense processisse videbis apud DEDEKENN. Consil. Et Decis. Theol. Vol. 3. lib. 4. Sec. 6. n. 5. p. m. 503. verb. Zum dritten, nach geschehener überzehrter fleißiger Nachforschung, vielgedachter Schmidt in geheim und durch den Bader und 5. ehrliche Männer bey uns (so sonderlich die Wahrheit diffalls zu berichten, bey ihrer gethanen Pflicht erinnert werden sollen) an seinen membris virilibus besichtigen lassen, ob er ein Hermaphroditus oder sonst an seinen Gemächten gebrechlich seyn möchte? Und wie die Sachen alsdenn durch

durch Besichtigung allerseits befunden, fleißig zu registriren, und solches E. E. und A. Gunsten schriftlich hinwiederum zu berichten. Quemadmodum idem Consistorium pronuntiavit in eo casu, ubi defectus ex parte Sexus foeminini accusatus, p. m. 506. loco all. n. 8. verb. Als ihr uns berichtet, welcher gestalt ein junger Geselle N. bey euch eine Jungfer zur Ehe genommen, und wie derselbe ihr in die 16. Wochen ehelich beywohnet, daß er sich beklaget, daß sie zu ehelichen Werken untüchtig, derowegen gebetzen, euch des Rechtfestes darüber zu berichten: Demnach unterrichten wir ic. vor Recht, habt ihr erstlich durch vier ehrliche, alte, Gottesfürchtige Matronen, so oft und vielmahls in Kindes Nöthen gebrauchet, und ihres Raths gepflogen, neben der geschworenen Kind-Frauen, noch 4. andere der ältesten eurer Mit-Bürgerinnen und zwey Kind-Frauen des N. vertraueten zu besichtigen, geordnet, ic. Videri possunt hāc de re plura præjudicia ibidem. Casus hi frequentissimè in quibusvis Consistoriis solent occurtere, & hinc Judex, illique quorum officium est, in illis curiositates, quas natura occultavit, inspectione inquirere, eō cautius & accuratius debent procedere, ne malitiis hominum, circa divertia frena laxentur, & illi arte vinculo matrimonii dissolvantur, quos alias Ju- ra sub freno legis retinerent. Hinc quando suscipitur inspectio, illi, qui adhibentur, sive Medici & Chirurgi, sive obstetrics, registraturam super omnibus, quæ no-tabilia circa corpus inculpati impotentiae invenerint, & quomodò ea sese habeant, confici curent, eamque postea judici exhibeant, quo horum Judicium suo jun-

D

gere

gere possit, & in fine congruenter secundum Jura respondere. Ast hæc inspectio non semper est necessaria, sed solum, si pars aliqua, & imprimis læsa vitium urgeat; si enim conjuges invicem velint esse contenti, laudabile potius censeri quām probrosum & divortio dignum, afferit SIMON de *Impotentia Conjugali* cap. 7. n. 11. hoc quoque pro vero matrimonio Scabinos Lipsienses declarasse, & ita portionem statutariam tribuisse, in causâ Marien Heckendorff zu Deuina refert ex CARPZ. *Jurisprud. For.* p. 3. c. 19. def. 5. quomodo autem illi illævæ debeant esse comparatæ, quorum impotentia accusatur, hoc relinquimus seriorum, prudentiorum, petitorumque Medicorum Judicio, neque illorum in nos provocabimus iram, judicando, quomodo & quâ ratione, coitus cum hâc vel illâ personâ fieri vel non fieri possit.

## §. IX.

*Inspectio non  
solum oculare-  
ris, sed etiam  
Ignographia  
in limitibus  
est necessaria.*

Cum agros hodie limitatos, territoriaque licet non sepimentis obducta, tamen clausa habeamus, probatio terminorum, & in specie lapidum terminalium derer Gränz- und Mahl-Steine, insignem habet effectum, sed quomodo fieri debeat, *Recessus Imp. de Ao. 1654.* injunctum est, verb. Wenn es um Grenzen, Weid-Gang, Jagden und andere dergleichen Jura und Rechtsfamkeiten zu thun, und den Augenschein einzunehmen von nöthen, so soll zu des Richters besserer Information eine iede Parthey einen richtigen Abriss zu produciren schuldig seyn, hinc non solum ocularis inspectio a Judice facienda, sed etiam Ignographia a qualibet parte edenda, quæ verba Recessus sine dubio sup-

supponunt limites territoriorum, & ubi inter magnates differentia ratione finium emergit, limites enim agrorum privatorum, qui plerumque judicio agrimentorum subjecti sunt, ejusmodi differentiis vix erunt obnoxii, vt præter ocularem inspectionem, aliquam desiderent Ignographiam, licet hæc partibus volentibus deneganda non sit, in primis ubi Judicium ex multis constat collegis, qui non singuli inspectioni oculari interfuerunt. Normam autem, quomodo Ignographia limitum confici debeat, describit OETINGER de *Jure & controvers. limit.* lib. 2. c. 6. n. 9. & io. verb: *Daß zuſörderſt alle Gelegenheit durch hierzu dienliche Instrumenta eigentlich und mit Fleiß in Grunde zu legen; Die Plagæ mundi, der Aufgang, Niedergang, Mittag und Mitternacht zu observiren; Die Marchstein oder Grenzen ordentlich nacheinander zu verzeichnen, die anreinenden Orte auch dabey anzuhēcken, und die Revier also zu repræsentiren, daß es mit dem rechten wahren Situ punctlich übereinstimme, und denselben allerdings gemäß sey.* Duplicis autem sunt Termini generis, alii Naturales, alii artificiales, naturales constituit natura, ut flumina, ripas, arbores, montes, artificiales ab homine constituantur: Primi præter inspectionem nihil desiderant; Reliqui verò etiam quandoque elevationem requirunt, an scriptura, an vero lapilli carbones vel alia ejus generis documenta, sub iis recondita sint. vid. RVLAND. de *Commisariis Part. II.* Lib. VI. cap. 1. n. 9. qui hanc materiam inspiciendi & probandi Lrides terminales, imo terminos quoscunque, magno cum studio & satis prolixè pertractavit.

D 2

§. X.

## §. X.

Circa multa  
alia objecta  
adhuc verfa-  
tur, & potest  
adhiberi ocu-  
laris Inspe-  
ctio.

Farrago adhuc controversiarum esset, quibus ma-  
teria hæc satis amplificari posset, si modo servitutes  
harumque Jura pervolarem, in illisque inspectionem  
prædiorum, servientium ac dominantium, & quid circa  
illas observandum, inspectionem Servitutis aquæ plu-  
viæ arcendæ, Servitutis prospectus, & quid circa illas  
justum sit, demonstrarem, de quibus videri potest ME-  
VIVS Part. 3. Dec. 372. Si porro verba facerem, de famo-  
sâ illâ controversiâ Transactionis super Testamento  
non inspectis Tabulis, de quo ex professo egit Dn. HIER.  
NICOL. GVNDLING. JCtus & Prof. Halens. celeberr. in suâ  
Dissertat. Inaugurali de Transact. Testam. non inspectis tabb.  
Si quoque Novi operis nunciationem, cautionem da-  
mni infecti, Rem litigiosam, duritiem carceris, forum-  
que & quæ ibi habeantur venalia, &c. velim excutere;  
in quibus omnibus egregiam utilitatem præbere oculare  
inspectionem afferit BRVNNEMANN. Proc. Civ. cap.  
22. n. 4. Sed vela contrahere, navemque ad portum  
revocare, suadet & chartarum ratio, & promisum, cui  
standum esse autumo, quod caput adhuc de Inspectione  
in causis criminalibus addere velim.

## CAP. II.

DE INSPECTIONE IN CAVSIS  
CRIMINALIBVS.

## §. I.

Mulier, qua-  
censetur pra-  
gnans, ante  
inspectionem

**S**icuti Lex Regia vetavit, prægnantem uxorem hu-  
mari, priusquam exsectus uterus esset, ne partus  
vivus humaretur, cuius vestigium in L. 2. ff. de  
Mort.

*Mort. inferend. extat, ita quoque in partus in utero existentis favorem plura disposita sunt, quæ ad ipsius non solum, sed quoque ejus, quæ gestat uterum, conservationem spectant; Hisque non immeritò accensetur, neque Torturæ, neque pœnæ potest subjici.*

quod gestans partum in utero, sive mulier prægnans, nulli poenarum possit subjici generi, neque etiam media ad veritatem perveniendi ipsi possint applicari, v. g. Territo & Tortura, tum ne mater periculum aliquod, vel partus in utero latens detrimentum ex malitia matris sentiat. Conf. OTTO in *Corpo. Juris Crim. ad art. 61. p.m. 205. pr.* De his mulierum prægnantium privilegiis & Juribus plura congesta reperies apud PET. MÜLLER in *Dissertatione de Jure pregnantium.* Confirmat hoc quoque VLPIANVS in L. 3. ff. de Pæn. quando dicit: *Prægnantis mulieris consuendæ danniatae pœna differtur, quoad pariat, Ego quidem, & ne questio de eâ habeatur, scio observari, quandiu prægnans est, conferatur idem in L. 18. ff. de Stat. Hom.* Ne autem mulier Judicem factam gravitate defraudet, & executionem diutius suspendi faciat, inspectione obstetricum erit dijudicandum, an partum in utero gerat nec ne, quæ hodiè quoque solet decerni. vid. CARPZ. *Prax. Crim. P. III. qu. 173. n. 26.* qui sequens præjudicium allegat: *So wird iezo beruherte Straffe des Staupen-Schläges so lange billig eingestellt, bis ihr euch durch die Weh-Mutter oder Heb-Umnen, mit Zuziehung anderer verständigen Weiber, bey ihr erkundiget, wie es um sie dießfalls eigentlich beschaffen ic.* Sed obsecrer quis, nihil prodeesse hanc inspectionem, si enim falsa protulerit mulier, & se esse prægnantem fingat, tunc Judex tempus, circa quod

probabiliter paritura sit, expectare, & si non pariat, sententiam executioni committere possit. Ait Respondeatur, Judici quidem nullum infertur præjudicium, licet Inquisitam patiatur tamdiu in vinculis remorari, usque dum tempus partus appropinquet, si propriis sumtibus victum sibi suppeditet, & metus non adsit, quod carcerem effugiat, (quia plerumque in mitioribus vinculis prægnantes solent detineri) cum autem plerumque delinquentes sint ex fece hominum, & ita depauperati, ut onus alimentandi in magistratum redundet, inspectio magnum præstabit commodum, si enim suspicio quædam graviditatis emergat, vel etiam mulier ipsa fateatur, se esse prægnantem, & per inspectionem ocularem contrarium demonstratur, Judex ab omni alimentandi onere fit immunis, licet non negandum, quod plura quoque possint esse obstacula, quæ Judicem moneant, ut executionem acceleret, si e. gr. plures delinquentes in vinculis detineantur, nullusque amplius sit locus tutus, ubi asservari possint, vel etiam Judex metuat manum complicum, ne armatâ manu à vinculis Inquisitam liberent &c. quæ tamen ferè omnia pro loci & circumstantiarum qualitate variant.

## §. II.

Inspiciendus  
vulneratus aut  
valerudinarius  
an torturam  
sustinere pos-  
sit.

Vulnera & morbi, à tormentis reum quandoque faciunt immunem, quandoque solum in tantum excusant, ne detrimentum irreparabile ex his sentiat, ita enim CAR. V. in *Conflit. Crimin. art. 59.* disponit: So der Beklagte gefährliche Wunden oder andere Schäden an seinem Leibe hätte, so soll die Peinliche-Frage dersmassen wieder ihn vorgenommen werden, damit er an sol-

solchen Wunden oder Schäden am wenigsten verlezen werde. Qui autem non aliter, quam per Inspectiōnem Medici erunt explorandi, hic postea Judici relationem facit, Inquisitum taliter esse comparatum, ut vel torqueri, vel non torqueri possit; quod tamen Jūdex ex circumstantiis morbi ipse debet judicare. Conferatur de morbis his EYSELIVS in dissertat. Medica de Morbis, ob quos rei ad Torturam fūnt inhabiles, Erford. 1711. habitu. Sic eum, qui rupturam circa genitalia habet, torqueri, sed moderate posse, putat CARPOV. Pr. Crim. P. III. qu. 118. n. 49. & praejudicium eodem loco jungit, de Homine morbo Epileptico (an der schweren Noth) laborante, quem Scabini Lipsienses torquendum esse (ziemlicher maſſen) pronuntiarint. Sed putarem, hoc vix constitutioni Criminali esse conveniens, quippe quae Judicis prudentis arbitrium non ad saevitiam excitat, & homines Epileptici commiseratione magis digni, quam ejusmodi tormentis subjiciendi, imprimis cum plerumque à Paroxismo vexentur, quando alterationem animi sentiunt, quod in territione accidisse, multoties observavi.

### §. III.

Cum Homicidium, & in specie Infanticidium commissum erat, ejusque author ignorabatur, Jure Germanico magnum reputabatur, imo fere infallibile indicium, das Blut-Zeichen, oder das Baar-Recht, ubi deducebantur quidam Homicidii suspecti, ut Cadaver inspicerent & jubebantur, ut tangerent, vel etiam clamarent: bin ich schuldig an deinem Tode, so gieb ein Zeichen von dir, & putant, si occisor tangat, quod tunc

Inspectio &  
taetus cadave-  
ris, das Blut-  
Zeichen/ non  
est indicium  
verum ad tor-  
turam neque  
aliquid pro-  
bat, nullis  
aliis indicis  
existentibus,  
san-

sangvis è cadavere effluat, quemadmodum quoque STRYCK. de *Jure sensuum Dissert.* 7. cap. 3. n. 5. notabilem casum ex Pomerania ad Facultatem Francofurtensem transmissum, refert, verb. *Dubiun ibi fuerat, an à matre, an ab Avia commissum infanticidium; hinc utraque ad infantem, qui per aliquor dies sub terra latuerat, deducitur, ut cadaver tangeret: Mater primum hec protulerat verba; habe ich Schuld an deinem Tode, so gebe Gott ein Zeichen an dir, als nullum hic apparuit signum. Postea ad cadaver deducta Avia, eadem qua mater proferebat verba; Mox infantis facies integra rubore suffunditur, & exanguis oculi guttæ aliquot sanguinis effunduntur.* Hoc cum observasset Avia conscientie stimulis ducita, delictum cum omnibus circumstantiis statim confessa. Sed nec videtur ipse approbare hunc modum delictum investigandi, quando scil. quis velit infallibile indicium ad torturam vel condemnationem Rei inde eruere, & Judiciis quoque Medicorum confirmat, quod Cadaver quandoque sanguinem effundere possit, licet homicida non sit praesens, nec illorum approbat sententiam qui hoc quasi vindictam Divinam esse ex Sacra Scriptura defendere volunt. Sufficiet nobis in nullo Jure, neque Criminalli, illud quod supra intellectum nostrum est, & cuius nullam neque adæquatam aliquam rationem reddere possumus, (cur homicida adstante, Cadaver sanguine stillare debeat,) pro legitimo delictum probandi modo haberi, & ita nequaquam ad torturam devenirri posse. Videtur mihi eundem modum sapere, ac probatio sagarum per aquam & per incantationes &c. quæ jam risui nostris JCtis dudum exposita, ubi enim indicia requirun-

quiruntur indubitata ad torturam, quæ ad minimum per duos testes debent esse probata, & ubi nihil, quam rei confessio debet abesse, sequitur certe ex his maxime fallabilibus indicis, Judicem non posse procedere ad torturam. Ut autem in Jure omnes fraudes, omnesque captiosæ quæstiones, ad veritatem perveniendi, Judici severæ sunt inhibitæ, non tamen delinquet, adhibendo ejusmodi tactum, & deductionem Inquisiti ad Cadaver; nonnunquam enim quando Inquisitus Cadaver inspicit, videtque sanguinem effundere, sine ulteriori inquisitione delictum confitetur. vid. STRYCK. loc. cit. n. 15. conferatur GRANTZ. defens. Inquisit. cap. 4. Membr. 2. Sect. 3. n. 127. seqq.

## §. IV.

Crimen Infantidii, Abortus, & expositionis Infantis, quoque potest per ocularem inspectionem probari, ita ut indicium ad torturam præbeat, si videl. de Quomodo Crimen Infantidii, Abortus, ex Infante recens nato, suspicio aliqua contra personam quandam emergat, & illa inspecta obstetrices afferant, pudenda ipsius apparere, instar partum ediderit, quem admundum ita dispositus CAR. V. in Constit. Crim. art. 35. So man eine Dirne, so für eine Jungfrau gehet, und Argwohn hat, daß sie heimlich ein Kind gehabt, und ertötet habe ic. & iterum wo denn dieselbe Dirne eine Person ist, darzu man sich der verdachten That verschen mag, soll sie durch verständige Frauen an heimlichen Stätten, als zu weiter Erfahrung dienstlich ist, besichtigt werden, würde sie denn daselbst auch argwöhnlich erfunden, und will die That dennoch nicht bekennen, mag man sie peinlich fragen. Debet autem persona esse talis, in quam tanti criminis suspicio cadere

E

pos-

possit, alias Judex, qui honestam personam inspectio-  
ni, licet tantummodo obstetricum vel peritarum in  
arte mulierum committit, facile injuriarum conveniri  
potest; quemadmodum in promptu est, casus oppidi vi-  
cini, ubi Prætori denuntiatum, honesti ejusdam civis  
ejus oppidi filiam, quæ virginem repreäsentabat, par-  
tui esse vicinam; Hic obstetricibus clam prius ad se vo-  
catis, inculpatam quoque accersere jubet, & sine multis  
ambagibus in conclavi quodam inspectionem ob-  
stetricibus demandat, an ipse adfuerit, memoria ex-  
cidit; puella, majus malum, & ne vi adigeretur, si ad-  
mittere precario nollet, metuens, admisit inspectio-  
nem; cum autem obstetrics asseruissent, nulla gravi-  
ditatis adesse indicia, puella dimissa, ad patrem rever-  
fa, ipsi processum hunc aperuit, qui statim Actionem  
Injuriarum contra Prætorem instituit, & transmissis  
Actis ad Facultatem Juridicam Erfordiensem, condemnatus  
Prætor, ad certam pecuniae summam pro injuriâ il-  
latâ puellæ solvendam. Probè itaque secundum Ca-  
rolinam ponderare circumstantias debet Judex, nec plā-  
nè inspectionem instituere potest, si de imprægnatione  
sit suspicio, licet eadem fere sit manifesta, & puella ne-  
get, sed debet expectare tempus partus, & quando tunc  
præsumtio contra illam emergit, quod partum inter  
fecerit, suffocaverit, vel etiam exposuerit, si videl. soli-  
to majorem portet uterum, faciei viriumque subsecuta  
imbecillitas fuerit, quemadmodum in art. 35. requi-  
ritur, acceditque ut persona sit procax, quæ cum ho-  
minibus suspectis habuit conversationem, & fronte ap-  
pareat meretriciâ, tunc non solum tuto secundum Ca-  
rolinam ad Inspectionem procedit, sed etiam omnem  
fini-

finistram suspicionem, quam alias incurrit, evitat, &  
 tunc talis inspectio legitimum præbet indicium ad tor-  
 turam, si videlicet asseruere obstetrics, eam peperisse.  
 vid. GRANZ. *defens. Inquisit. Cap. IV. membr. 2. Secl. 2. n. 118.*  
*seqq.* & Juramento hanc assertiōnē confirmari, ne-  
 cessarium esse putat CARPZ. *Prax. Crim. P. III. qu. 122. n. 21.*  
 Cæterum & inspectionem solam, ne quidem ad in-  
 vestigationem hujus delicti sufficere posse putant, sed et  
 iam tangere obstetrics debere ventrem, & claustra vir-  
 ginalia, licet hoc in *L. 10. ff. de venitr. inspic.* sit prohibi-  
 tum, vid. FVLV. PACIAN. *de Probat. Lib. 2. cap. 2. n. 17.* cum  
 quando Judex ex officio in delictum inquirat, non sit  
 in arbitrio Inquisitæ, an tactum admittere velit, quia  
 omnibus sensibus veritatem percipere debeat, vid.  
 STRYK. *de Jure Seni. Dissert. 1. c. 1. n. 51.* Quod admodum  
 ridiculum est, quoniam de explorandâ loquitur virginite-  
 tate, eamque per inspectionem & tactum vult dijudi-  
 cari, cum tamen supra fuerit demonstratum, hujus pro-  
 bationem & inspectionem considerari, exceptis quibus-  
 dam casibus, tanquam ens rationis, ita ut suo quoque  
 tempore crediderit evjACIVS, impossibile esse dijudicare,  
 an aliqua sit devirginata, quem sequitur FAVST ab A-  
 SCHAFFENBURG in *Confil. pro Ærar. Classe 16. Conf. 58. in fine.*  
 nisi probas virginum Vestalium, pro infallibilibus signis  
 virginitatis vendidare velis, quibus non contradicam.  
 Gestare enim haec, si fides Historicis est habenda, poten-  
 tiant aquam Cribro, incedere ferro candente (quod  
 quoque de HENRICI II. Imperat. uxore castâ Kunigunda fa-  
 bulantur,) navemque nuda Zona movere, quæ alias  
 nullis viribus moveri poterat, & ejus generis plura, quæ  
 per aquam ferventem & frigidam expediebantur.

## §. V.

Lac in mammillis suspectæ virginis repertum, præsumptionem contra ipsam facit, quod sit deflorata, & perpererit, quare & inspectionem mammillarum, & tactum admittere debet, videlicet Crim. CAR. V. art. 36. verb. Wo

aber das Kindlein, so fürliech ersödriet worden ist, daß der Mutter die Milch in den Brüsten noch nicht vergangen, die mag an ihren Brüsten gepöcken werden; welcher dann in den Brüsten rechte vollkommene Milch erfunden würde, die hat deshalb eine starcke Vermuthung peinlicher Frage halber wider sich. Quæ constitutio saltæ videtur loqui, de eo casu, quando corpus aliquod delicti adsit, insans videlicet mortuus. Doctores tamen generaliter extendunt, ad omnes casus, ubi lac in mammis aliecius reperitur, & inspectionem concedunt, si autem quædam concurrant circumstantia, ita ut si mulier circa pudenda appareat puerpera, Tortura locum esse constanter afferunt. Nos putamus, inspectionem vix habere locum, licet lac in mammis mulieris appareat, nisi & alia quædam in Spho præced. allegata concurrente admicula, cum enim HIPPOCRATES ipse Lib. s. Aphor. 39. aliam causam lactis mammillaris mulieris esse posse afferat, suppressionem videlicet mensium, neque Medici hac de re sibi ipsis constent, in dubio pro favore puella est pronuntiadum, ne ignonimia aliqua afficiatur, per inspectionem videlicet ocularem, imprimis cum ipse CAR. V. eod. art. cit. hoc approbet, verb. Nachdem aber etliche Leib-Aerzte sagen, daß aus etlichen natürlichen Ursachen etwa eine, die kein Kind getragen, Milch in den Brüsten haben möge, darum, so sich eine Dirne in diesen Fällen also entschuldige, solle deshalb durch die Hebammen oder sonst weitere Erfahrung geschehen. Ut quoque de masculo, Barone videlicet, qui Lac in mammis habuerit, idque quoties voluerit, exprimere potuerit, ex STEPHANO refert CARPZ. P. III. qu. 122. n. 23.

## §. VI.

Quomodo inspec-  
tio oculi  
in stupro  
inceptio incul-  
tatio, per ocularem inspectionem po-  
test elidi, Casus anno praterito accidit notabilis, in terri-  
torio

torio Erfordiensi, coram Judicio Provinciali ibid. Inquisitorie tractatus. Ubi puella 8. vel 9. annorum, Vitricum rusticum stupri incusabat, mirabiliaque quæ cum eâ peregrisset, proferebat, mater asserebat, se vidisse maritum noctu deambulare ad cubiculum pueræ; quod frater pueræ confirmabat, Vitricum nempe noctu ad lectum venisse, ubi ambo decubuerint, & ipsum iussisse exire, potteraque eo loco recubuisse, ambo dicebant, paulo post magnum edidisse puellam clamorem, mater ut & alii testes juramento confirmabant, se vidisse postea puellam quasi dolorem sentire, extensis cruribus incedentem, & mater in specie asserebat, sanguinolentam ea parte, quæ fexum ostenderat, apparuisse, & res tantis cum circumstantiis erat delata, ut vix aliud quis sibi certius persuadere potuerit; imprimis, cum antequam res in Judicium deducta, Pastor illius pagi è rostris Ecclesiasticis rusticos adhortatus fuerit, talia peccata ne quidem in cordibus fovere, horroremque istius peccati auditoribus serio inculcaverit. Rusticus ille pastorem è templo exuentem excepit, & maximopere cum eo disceptavit, cur tanta cum afficerit ignominia, famamque suam ita labefactaverit, omnes ipsum intuerentur rustici, animadverterentque, quoniam de tali peccato inculparetur, ipsum jam è pulpitis Sacris esse dejectum. Commodior veritatem aliquatenus investigandi nulla erat via, quam ut puella inspectioni oculari committeretur, ut prius de corpore delicti, de quo in tam tenera aetate puellæ constare poterat, certitudo esset, quod & factum: Physicus cum obstetricibus inspectionem peregere, & unanimiter asseruere, puellam circa genitalia ita comparatam esse, sicut ex utero materno processisset, nec apparere minimam lesionem, nec possibile fuisse, virum praesertim tantæ molis, cum ejusmodi puellæ tenerâ, coitum exercere potuisse, nisi cum tantâ lesionâ, ex qua puella mox fuisset obitura. Per hanc exculpationem inspectionis, rusticus ratione delicti commissi ab inquisitione liberatus quidem, sed quoniam magna suspicio attentati delicti

licli remansit, hujus nomine purgatorium ipsi per sententiam fuit impositum, quod & sine habitatione praeslit.

## §. VII.

**Inspeccio Ca-**  
daveris occisi, currentem materiam, Inspecciois cadaveris occisi, quæ  
in Constat. severæ in NEMESI CAROLINA art. 194. est injuncta, verb. Solle  
Crim. demon-  
datur, & in  
Jure divino &  
Canon. est  
fundata.

Procedo ad famosam illam, & quotidie in Praxi occi-  
daveris occisi, currentem materiam, Inspecciois cadaveris occisi, quæ  
severæ in NEMESI CAROLINA art. 194. est injuncta, verb. Solle  
der Richter samt zweyen Schöffen dem Gerichts-Schreiber und  
einen oder mehr Wund-Aerzten, (so man die gehaben und gegeben  
ken kan,) die dann zuvor dazu beeydiget werden sollen, denselben  
toden Körper vor der Begräbniß mit Fleiß besichtigen, und alle  
seine empfangene Wunden, Schläg und Wüff, wie der iedes  
erfunden und ermeßlen würde, mit Fleiß merken und verzeich-  
nen lassen, & ipso Jure Divino haud obscure fundata vide-  
tur, cum enim Deus Exod. 21. v. 12. illum solum interfici-  
jussit, qui aliquem percutiat ut ex vulnere moriatur, se-  
quitur, quod doctrinam inspectionis cadaveris absolute  
approbaverit, cum enim nemo facile sine inspectione, de  
vulnere, an fuerit lethale, judicare poterit, sequitur neces-  
sario, vulnus debere inspici, si certum debeat esse, quod  
quis ex vulnere sit mortuus. Deus enim ex intentione  
interficiendi, vulnerantem judicari voluit, nec simpliciter  
eum capitali poena affici jubet, neque ob quamlibet  
lascionem, ubi mors per accidens fecuta, sic solum ubi  
vulnus adest lethale, quod nulla arte Medica sanari potu-  
set, ex quo in dubio animus occidendi praesumitur, con-  
feratur, DN. BERGER in Elec. Jurispr. Crim. membr. 3. §. 5. p. 94.  
§. p. 274. add. BARTH. in Hodegetasor. C. VI. p. m. 817. quibus  
se quoque accommodat Jus Canonicum, in Cap. ad audienciam 12. X. de Homicid. volunt. §. cas. §. cap. significasti 18. eod.  
verb. Nos in premiso casu credimus distinguendum, utrum consta-  
re possit, quod prefatus sacerdos non infixit percussione lethalem,  
de qua pliorum non fuissent vulnera subsecuta percussus minime  
interiisset, & si percussor voluntatem non haberit occidendi, ne-  
que ipsius studio, consilio & mandato processerint alii contra illum. Et  
quidem hoc ita se habet, (quod forsitan ex eo posset ostendi, si certa  
apparuerit percussio ab eodem inficta tam modica & tam levis, in  
ea parte corporis, in qua quis de levi percuti non solet ad mortem,

ut

*ut peritorum judicio medicorum talis percussio affereretur non fuisset  
lethalis) &c. add. GLOSSA ibid. & THEODORIC. Colleg. Crim. c. VII.  
Apb. I. §. 39.*

## §. VIII.

Sectio autem hæc ordinate, & secundum intentionem Dissensus do-  
Nemefos Carolinæ est peragenda, alias est nulla, neque ali-  
quem in Jure habet effectum, si quoque non rite peracta,  
adhuc potest repeti, quod sèpius sit, & eum in finem Ca-  
daver sepultum iterum effodi posse, statuit CARPZ. Prax.  
Crim. qu. 26. n. 23. ubi ita Lipsiensis respondit refert: Und  
in Fall solche Besichtigung nicht rechtmäßiger Weise fürgegangen/  
wird der tote Körper wiederum ausgegraben, und in beweyn de-  
rer Gerichts-Personen die Besichtigung vor die Hand genom-  
men. Sed an hoc sectio, & iuris inspectio Cadaveris semper  
sit necessaria, in eo non concordant Ddres? Card. RYSCHE.  
Tom. V. lit. P. conclus. 286. n. 7. f. 114. OLDEKOP. Lib. IV. observ.  
Crim. 47. n. 8. tit. 4. p. 289. BLVMLACHER ad P. H. S. O. art. 149.  
BRVNREM. Proc. Crim. c. 7. n. 20. p. 52. & STRYK. de Jure sens.  
Dissert. I. c. 3. §. 23. &c. putarunt, Inspectionem non esse ne-  
cessariam, si vulneratus in continentia post vulnerus acce-  
ptum animam afflaverit, quoniam ex repentina subsecuta  
morte, non possit aliter judicari, quam ipsum ex acce-  
pto vulneri esse mortuum, suffulti Conſt. Crim. art. 147. verb.  
So einer geschlagen wird, und über etliche zeit darnach stirbt, al-  
so, daß zweiflich wäre, ob er der geßlagenen Streiche halber  
gestorben oder nicht? & quoniam sic nec Jus Divinum, tali  
in casu, nec Jus Civile, nec Carolinum, inspectionem desig-  
neret, à Facultate Viadrina aliquoties poenam ordinariam  
dictatam esse refert STYCK. loc. all. n. 25. Ait contrariae sen-  
tentiae subscripti CARPOV. Prax. Crim. P. I. qu. 26. n. 46. 47.  
48. WELSCHIVS de renunciat. vidner. lethal. cap. 14. & ult. GRANZ.  
defens. Inquisit. cap. VI. membr. 2. n. 18. 19. 20. seqq. &c. qui de  
Praxi quoque testatur, ita servari, & dicunt licet post vul-  
nus acceptum moriatur statim vulneratus, tamen ex acci-  
denti possit fieri, videl. Apoplexia, spirituum vitalium sus-  
focatione &c. vel si terminus ultimus seu mortalis statim  
coincidat, hinc ex sola præsumptione à repentina morte,

non

non statim alter ultimo sit afficiendus suppicio, imprimis cum ardua sit causa, ubi de sanguine hominis agatur, & Medici ipsi ambigant, an non per accidens fieri possit, vid. BOHN, *in Med. Forens. specim.* 2. §. 13. & GRANTZ, loc. cit. præjudicium Facultatis Lipsiensis ex CARPZ. refert. So halten wir doch dergl. ihen præsumption viel zu schwach zu seyn, die Zodes-Straff darauf zu erkennen, und den Gefangenen das Leben abzusprechen: Denn es wohl seyn können, daß der Verwundte aus andern Ursällen als schweren Noth, Schlag, Verblutung oder auch selbst eigner Verwahrlösung verstorben, wie sich denn bey solher Verwundung öfters begeben thut. Nos in tanta doctorum differentia reputamus, medium aliquam esse inveniendam viam, qua tutissime incedere arbitramur, si nempe statuamus, non necessariam esse sectionem in eo, qui eo momento, quo percussus aut gladio aut alio instrumento, statim decebat, ibi enim cerrissimum esse, per id vulnus periisse, & runc ordinaria pena, etiam nulla cadaveris sectione adhibita, percussorem puniri posse, si vero per aliquod temporis spatium v. g. duarum horarum, vulneratus vivat, tunc omnino necessariam esse sectionem, quoniam interea alia causa, v. g. Convulsiones &c. potuit supervenire, & si hoc in casu inspectio cadaveris fuerit neglecta, quod tunc non possit ad ordinariam devenirii poenam, Quæ sententia etiam Nemesis Carolina est convenientissima.

## §. IX.

**Conclusio.** Hæc sunt L. B. quæ de Inspectione Oculari tibi pro temporis angustia exhibere volui, interim si quædam à me erunt omissa, in optimam partem interpreteris peto, quoniam mens mihi non fuit, exactam ocularis inspectio- nis materiam, eruditorum censura subjicere, sed solum notabilia quædam promisi, & si in his quædam à typogra- phomenda irrepserunt, pro benignitate tua velis corrigere peto, Vale.

T A N T V M.






Erfurt, Diss., 1725-26

ULB Halle  
005 367 786

3



vD18



**Farbkarte #13**

Black		B.I.G.
White		
Magenta		
Red		
Yellow		
Green		
Cyan		
Blue		



DISSERTATIO INAVGVRALIS JVRIDICA 1726/21 M 42  
DE

# INSPECTIONE OCVLARI

QVAM  
IN PERANTIQVA VNIVERSITATE HIERANA  
RECTORE MAGNIFICO  
REVERENDISSIMO ET PER - ILLVSTRI DOMINO,  
DOMINO

CHRISTOPHORO IGNATIO  
DE GVDENVS,

EPISCOPO ANEMORIENSIS,

MINENTISS. ARCHIEFISC. ET PRINC. ELECT. MOGVNT. IN PONTIFICALIBVS  
CARIO GENERALI, AC CONSIL. ECCLES. SIGILLIFERO, ET SVFFRAGANEBO ER-  
ORDIENSI, J. V. D. INSIGN. ECCLES. COLLEG. AD S. SEVER. CANON. CAPIT. ET  
SCHOLAST. HVJVSQVE VNIVERSIT. PRO-CANCELLARIO, ET REL.

ILLVSTRI FCTORVM ORDINE CONSENTIENTE

PRAESIDE

ON. ERNESTO TENZELL, JCto,

MINENT. PRINCIPIS ELECT. MOGVNT. CONSILLARIO REGIMINIS, JVDICHI  
PROVINCIALIS AC FACVLATATIS JVRIDICA ERFORDIENSIS ASSESSORE,  
AC CONSULE IBIDEM PRIMARIO.

## PRO LICENTIA

MMOS IN VTROQUE JVRE HONORES ET GRADVM  
DOCTORALEM RITE AC LEGITIME CAPESSENDI

HORIS LOCOQUE CONVENTIS

ERVDITORVM CENSVRÆ SISTET

EINR. GOTTLÖBIUS KÖHLER,

INSPECTOR ACCISARVM SEV TRIBUTORVM ROSVINI, NÖSSENÆ,  
SIEBENLEHN. ET VVILSDORFFII.

AD D. III. IULII ANNO MDCC XXVI.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.